

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Promptvarii exequialis pars ...**

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive  
scripturae dicta varia ...

**Bidembach, Felix**

**Francofurti, 1625**

Thema XVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

## THEMA XVIII.

Ruth. 1. à v. 3. ad 18.

*Historia de morte Eli Melech atque filiorum, & luctu Naemi, atque fidelitate nurus Ruth, &c. Tractanda in funere viduæ, quæ socrus fuit commoda nurus: vel vicissim &c.*

## DISPOSITIO.

Lugubris hæc est historia, ostendens, quomodo olim tempore Judicum tres piissimæ feminae, Naemi, Arpa & Ruth intra decennium factæ fuerint viduæ, & quam ægre ab inuicem sint diuisæ. Vbi simul singulare aliquid narratur, quam ardens fuerit dilectio inter socrum & nurus, contra antiquum illud prouerbum, omnes socrus oderunt nurus, quod reciproce & legi & intelligi potest.

Ne autem quis existimet, hæc esse anilia, & propterea parum vtilia, sciendum hanc historiam singulari consilio à Spiritu sancto esse descriptam, partim quidem propter Ruth (cuius frequens hic fit mentio) quæ fuit proauia Dauidis, atque hæc etiam Christi: vt sic cognita sit nobis Genealogia Saluatoris: partim etiam propter nostram vtilitatem, sicut omnia alia. Rom. 15. v. 4.

Tres autem partes historiæ breuiter erunt notandæ.

1. Mors Eli melech & duorum filiorum.
2. Naemi discessus ex terra Moabiturum & valedictio, &c.
3. Veriusque nurus erga socrum beniuolentia.

## I. Pars.

Accidisse hæc omnia sub Eli Iudice & Sacerdote Josephus author est. Et vero non est dissimile.

Quia inter cætera in hoc libello legitur natiuitas Obed, qui fuit auus Dauidis.

Famam fuisse in Chanaan illis temporibus refert historia,

istoria Quod sapius factum, licet fuerit terra optima. Vide Gen. 12. v. 10. & 26. v. 1. & 42. v. 5.

Hac de causa Elimelech cum vxore & filiis duobus transmigrat in terram Moabitarum, ibique moritur. Filii adulti vxores ducunt ex Moabitibus, Mahlon quidem ducit Ruth, Chilion vero Arpah.

Licebat hoc illis. Quia Moabite non inter alienigenas aut Chananæos numerabantur. Erant enim Iudæorum cognati, quippe descendentes ex Lotho. Gen. 19. v. 37. Ac plerumque hostes eorum.

Post aliquot annos moritur vterque frater. Et sic relinquunt pater & filii tres viduas ætatisissimas. Et fuerunt quidem illæ omnes honestæ & modestissimæ matronæ. Miserae autem erant hæ viduæ, præsertim illæ Moabites: quia steriles, & absque dubio iniustæ suæ genti, quia Israelitas, eosque pauperes & exules duxerant. Piæ tamen omnes, & patienter hanc suam miseriam tolerarunt, vt patet ex omnibus circumstantiis. Sicut & antea constanter matrimonio matris suis fuerant commodæ coniuges, quo nomine commendantur à soctru, cap. 1. v. 9.

Locvs I In Elimelech atque coniuge & liberis, videmus Deum suos interdum quoque affligere malis corporalibus, vt sunt fames, exilium, &c. hoc loco. Idem experti optimi Patriarchæ, qui propter famam solum vertere coacti sunt. Abraham Gen. 12. Isaac Gen. 20. &c.

Hinc colligimus, non odiscere eos Dominum, quos sic affligit, cum se Deum Abrahami, Isaaci & Iacobi ipse vocarit; sed alias subesse causas, vt i. scilicet prober ipsorum fidem, spem, patientiam, & vt posteris proponat exemplum, vt in Tobia, Tob. 2. v. 12. & Hiobe Iac. 5. vers. 10. & scq. Nemo itaque desperet, aut ad impatientiam declinet propter tale incommodum.

L. II. Graue mori in exilio, quod hic patri & filiis accidit. At sumus peregrini & exules in toto hoc terrarum orbe, si maxime regna possideamus: vt factum Dauid, Ps. 39, v. 14. & 119. v. 19. Et peregrinamur cum Iacobo. Gen.

Gen

Gen. 47. v. 9. Elimelech Ruth. 1. v. 1. à Domino 2. Cor. 5. v. 6. Non habemus manentem civitatem. Heb. 13. v. 14. Ideo venturam queramus in cœlis, Coloss. 3. v. 1. Est enim nostrum πολιτεύεσθαι in cœlis, Phil. 3. v. 20.

L. III. Viduitas magna pars est afflictionis temporalis præsertim in fœminis. Consolatio autem hæc maxima, quod præ aliis Deo curæ sunt, quod testantur leges prophetis latæ. Deut. 10. v. 18. Exod. 22. v. 22. Deut. 6. v. 14. & 24. v. 17. & seq. & 26. v. 12. Esa. 1. v. 17. Jer. 22. v. 3. Zach. 7. v. 10. Mal. 3. v. 5. Syr. 4. v. 10. Vide etiam Syr. 35. v. 18. Magna hæc ipsis consolatio: præsertim quod ipse Dominus se iudicem viduarum declarat. Psal. 68. v. 6.

Decet autem ipsas pietas & castitas, Exempla. Iudith. Iud. 8. v. 4. Hannâ Luc. 2. v. 37. vide 1. Tim. 5. v. 5. Tit. 2. v. 3. Alioquin male audiunt, & mortuæ dicuntur. 1. Tim. 5. v. 6.

### I I. Pars.

Cum audisset Naemi Dominum iterum visitasse patriam terram Chanaan, & cessasse annonæ caritatem, statuit reverti domum.

Comites ipsi se adiungunt nurus, Ruth & Arpah, nec volunt illam deserere, sed ipsæ potius relinquere patriam, & cum focu charissima pergere in Chanaan. Socrus vero Naemi valedicit ipsis, oscula figens, pro more gentis. Hortatur ut maneat cum suis, non quod oderit ipsas, sed quod nolit illas exulare à patria.

Preccatur ipsis omnia scelicia, & ut commodos fortiantur maritos optat.

Commendat ipsarum fidelitatem, præstitam maritis, & ipsi etiam viduæ: utque Deus largissime remuneretur optat. v. 9. Filias ipsas vocat, & pro his habet.

Doler quod ipsa non possit alios ipsis filios in locum defunctorum substituere. sicq; diuinæ protectioni commendatas ipsas vult dimittere. Hæc socrus.

Loc v. s. Recte & pie facit Naemi. Quod nurus suas ita diligit, tanquam filias, & ipsis omnia fausta preccatur præ

præsertim defunctis iam filiis, &c. Non omnes ita sunt affectæ. Nostrates dicunt: Wann das Kind todt ist/so ist die Schwatterschafft auß. Et nonnullæ ægre ferunt, si nurus alius nubant maritis. Multæ suas nurus, etiam viuentibus filiis, cane peius & angue oderunt: vt proverbium inde natum sit, de quo supra. Male hoc fit. Præsertim si illæ fecerunt misericordiam cum maritis, viuis vel mortuis. Debent haberi pro filiabus, & socrus illæ præsertim viduis esse loco marum. Et abominatur Dominus illam *à seculo*, quæ communis est nostro seculo, iuxta id Pauli 2. Tim. 3. v. 3.

## III. Pars.

Sed quid nurus? Illæ sane non minorem charitatis affectum demonstrant erga socrum. Et Arpah quidem tandem persuaderi sibi patitur, vt reuertatur domum in patriam, nec sine effusis lachrymis discedit à socru sua.

Ruth vero adhæsit socru: non vult reuerti domum. Vult cum socru viuere & mori, & non nisi per mortem ab illa separari. Retenta autem est absque dubio singulari arcano Dei consilio, vt fieret proauia Christi.

Loc vs. Quod supra diximus de socru: id etiam hic referatur ad nurus. Illæ non tantum suas socrus tanquam matres debent diligere: sed etiam in coniugio erga maritos tales esse, quales hæc commendantur à socru: & defunctis maritis etiam benefacere matribus eorum, si possunt. Hæc quomodo Deo placeant, patet ex hoc loco, vbi Spiritus sanctus tam copiose de his rebus differit, vt ostendat Deum hæc accurate obseruare, & remunerari etiam in hac & altera vita, sicut docet exemplum Ruth: cuius laus durat in Ecclesia omni tempore, &c.

F I N I S.

## THEMA XIX.

1. Sam. 2. v. 6.

*Mortificat & viuificat Dominus, deducit ad inferos & reducit.*

DISPO